

David Richter


Patavinitatem Cum Ad Natalem Serenissimi Ducis atque Principis Domini Caroli Leopoldi, Ducis Regnantis Meclenburgici ... Cras V. D. Hora IV. pomerid. publice celebrandum In Gymnasii ... Invitaret

Gustroviae: Fritzius, 1744

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832345687>

Druck Freier  Zugang





MLK-9453-(1)

43

13

PATAVINITATEM

CUM AD

NATALEM SERENISSIMI DUCIS
atqve PRINCIPIS

DOMINI
CAROLI
LEOPOLDI,

*Ducis Regnantis Meclenburgici, Principis Vetustæ Gentis
Henetæ, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis,
Terrarum Rostochii atqve Stargardiæ Dynastæ, &c.*

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

Cras V. D. Hora IV. pomerid. publice celebrandum

IN GYMNASII DUCALIS AUDITORIO MAJORI

FESTIS SOLENNIORIBUSqve ORATIONIBUS,

AD QVAS BENEVOLE AUDIENDAS,

UT FREQUENTES, GRATIOSIQ, CONFLUANT

PATRES AC SACERDOTES
utriusque JUSTITIÆ

OBSEQUIOSE ET STUDIOSSIME INVITARET,

CONTINUABAT

M. DAVID RICHTER,

GYMNAS. RECTOR.

GUSTROVLÆ, Typis JOHAN. GOTTHELFI FRITZII, 1744.

*Ecce
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis*

PATAVINATUM

Curia
NATALIEM SERENISSIMI DUCIS
et PRINCIPIS

DOMINI

CAROLI

LEOPOLDI

Dux, Comes, Princeps, Natus Comes
Imperator, etc. etc. etc. etc. etc.
et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

PATRES ac SACERDOTES

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

M. DAVID RICHTER

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.

et etc. etc. etc. etc. etc. etc.



J. N. D.

Operam Morhofii, quam in profliganda Patavinitatis ignominia, Livio temere afficta, olim posuit, Superiori anno recensuimus. Quanto etiam plausu omnium fere Eruditorum fuerit excepta, statim sub initium docuimus. Neque mihi quisquam innotuit, qui Morhofio superstite publice eandem vel carpere vel obterere sustinuisset. Ipse profecto Magnus & incomparabilis SCHURZFLEISCHIUS, licet inclarescentem Morhofii gloriam ægre tulerit, Livium tamen ejusque causam communem ita strenue defendit, ut Morhofio minime cesserit. Nondum enim ipsius liber de Patavinitate Liviana prodierat, adeoque tanto majori candore & libertate sententiam suam impune ferre poterat. Ne vero hic C. S. S. i. e. contra signorum seriem ferar incertus, mutatamque postea Schurzfleischii Sententiam, tanto apertius proferre possim, annorum placet Seriem observare insimulque Lectorem monere, ut, sicubi numeros viderit Livio, Liviique causa adjectos, sciat, *primum* denotare Livii librum, *secundum* ejusd. caput, *tertium* capituli tmemation, §. seu versiculum ex Clerici editione repetitum. Die itaque 29. Quintil. A. 1676. ad b. Dn. Jacobi in Select. Epist. 353. p. m. 388. edit. A. 1712. (in edit. A. 1700, est. p. 509.) ita de

A 2

Livio

Livio iudicavit. Ipsum (Jacobi filium) monui statim & voce, exemploq; hortatus sum, uti Livium imitaretur, & in omnibus scribendi partibus ad ejus ubertatem omni cura studioq; se fingeret, ut quo nullus evo Augusto vel praestantior vel gravior, remq; publ. tractaturo aptior Scriptor vixisset. Quod GEORG TRAPEZUNTIUM, magna doctrina ingenioq; virum, adduxit, ut unum cum omnibus Historicis, Saltem styli ratione, anteferet. A qua Sententia neq; Buchnerus noster abhorruit, & Boxbornius quoq; affirmavit, omnem civilem eloquentiam, qua cultum nativum & quandam dicendi majestatem praeseferat, ex Livio maxime comparandam esse &c. Eadem animi gravitate Morhofii Liviiq; causam perorat ad Amicum Φιλέθνηα, ibid. Epist. 577. p. 689. (in edit. A. 1700. est p. 929) quae vero epistola sine Die & Consule fuit edita, Livii, inquit, CASTA LATINITAS Laetiaeque ubertas reprehensionem tuam effugiat necesse est, qua civitate Latii tuetur orationis dignitatem, & repellit Patavinitatis contumeliam & defendit causam Scriptoris. Malim tamen dicere cum prioribus Livio Quiritibus vertentem annum quam circumactum; hodie, quam hodieq;, & qua id genus alia apud Livium leguntur. Oratio Liviana tota est aequalis & recta, sed quaedam Singularia habet & studiose observanda. Senam Livii (27. 46. 4.) in Picerio collocandam censeo, & in eo assentior Sabellico, Senam Gallicam à Cisalpinis Gallis & Senonibus, qui in Italia confederant, appellatam. De trecentis Fabiis (2. 4. 9. sq. Conf. CELLARIUM ad Eutrop. 1. 14. 3 & Cel. JÖCHERI Disp. de suspecta Livii fide §. 10. p. 23.) nemo plenius Te erudiat quam Dionysius Halicarnassensis, (Antiquitat. Rom. IX. p. m. 307. vers. Lat.) ex quo Lucem afferas, non Poetis modo, qui licentiam jure Privilegii sibi vendicant, sed etiam Eutropio, Orofio, imo & ipsimet Gellio, quorum industria non aequalis, nec iudicium semper idem fuit. Vides itaque 1.) Patavinitatis
 Contu-

Contumeliam a Livio esse repellendam. 2.) Orationem totam Patavini esse æqualem, rectam & castam. Num vero 3. anno Historicorum Principis *circumactō* melius consulatur per *annum* aliorum *vertentem*, anceps erit quæstio, tum quia fortissimus ille fugientis Latinitatis stator, Magnus pariter *CELLARIUS* reæ huius vocis causam, non solum suscepit, sed strenue quoque peregit, cum in limine *ANTIBARBARI* ad *immerito damnata* vocabula eandem retulit, & in *Curis Posterioribus* p. 90. hunc ipsum *circumactum annum* Seculo aureo restituit; tum quia in *Aliorum vertente* anno, duram illam Activi pro Passivo Enallagen Livius in subsidium vocare noluit, optimis licet quibusvis usitatissimam. vid. *BERGERUS de Naturali Pulchr. Orat.* p. 475. quod denique 4.) Oratio Livii quædam habeat *Singularia* & studiose observanda, nec *Morhofius* in suo Libro cap. ult. p. m. 586. diffitetur nec ullus reperietur *CICERO*, *CÆSAR*, aliique, qui suorum expertes essent *Singularium* privatæq; loquendi consuetudinis. Ex talibus Singularibus vero, tales statim exsculpere *Idiotismos*, qui plebejam, vitiosamque loquendi rationem oleant, inscitia est. Haud diu vero hunc retinuit animum *SCHURZFLEISCHII*, Saxonicus ille Cicero, sed primo titubare, mox ægre ferre, ab aliis hanc Patavinitatis ignominiam fuisse repulsam, postremo in contrariam ire Sententiam, ipsamque hanc labem Livio ipse infligere cœpit. Suum interea temporis *MORHOVIUS* de *Patav. Liv.* librum, per 24. fere annos, licet non continuos, lambendo ita formaverat, limandoque ita politum exasciatumque perfecerat, ut A. 1684. prelo liberatus prodiret. (vid. *Morhofius* in *pref. hujus libri ad Lect. Eiusdemq; VITA* p. 22. subjuncta illius *Dissertat. Academ. & Epistolice*) *POLYHISTORIS* etiam sui Partis I. Tomum I.

A. 1688. circa Michaëlis Festum, sub tit. *Notitia Autorum &c.* ediderat. Illico applaudentem quidem sibi vidit *CELLARIUM*, qui A. 1685. 8. Calend. Febr. in program. de *Ruina Familia Herodum*, omnem Morhofii causam mirifice extollebat (Cellarianum elogium leges apud *MÖLLERUM* l. mox citando. §. 70. circa fin. p. 40.) Sed Schurzfleischii animum, qui ne parem quidem, nedum Superiorem ferre poterat, hæc ita concusserunt, tantumque bilis moverunt, ut Calend. Septembr. ejusd. A. 1688., quo vix Polyhistor prodierat, fratri suo Henr. Leonardo, Tom. I. Epist. Arcan. 377. p. 611. scripserit: *Vismariensis in Notitia Autorum jactat se, vir latina & Græca pariter lingua haud exquisite peritus, & Buchneri epistolas quasi ex Cicerone delibatas commendat, sed nescius vitiorum Latinitatis que in Ejus Scriptis passim se produnt, tam frigide judicat, ut ne legisse quidem putem.* Hæc vero ne frustra dixisse videatur, longum subjicit catalogum vitiorum Latinitatis in Buchnero occurrentium, puræ Latinitatis Studiosis oppido pergratum, & qui sine dubio facem prætulit HEINECCIO, idem in de *Fundam. Styli* sentienti p. 129. Quod vero justo acerbius de Morhofio judicaverit, non continuatio solum Polyhistoris, ejusdemque repetitæ editiones docent, sed mitiora quoque omnium Eruditorum de Eodem judicia, cumulate quidem congesta ab Autore *VITÆ MORHOF.* p. 51. sq. Sed ab *MÖLLERO* in *Prolegom.* Polyhistori Morhofiano a se præmissis, tanto conlecta numero, quanta ipsius erat lectio & industria, i. e. infinito. Triennium interea vix præterierat cum Optimus Morhofius hujus quidem censuræ inscius, A. 1691. d. 30. Jul. Lubecæ placide diem suum obiret, ipsumque Sarcasium mitigare, melioraque interim sapere docuisse videretur. Quemadmodum enim ex *Q. FABII MAXIMI* Sententia apud

apud LIVIUM 22. 39. 12. *Meliores, prudentiores, constantioresq, nos tempus diesq, facit; ita postea sanio-rem quoque melioremque de Morhofio tulit sententiam, sed tamen ita, ut Operam de Patavinitate nec ferre, nec probare sustinuerit. Ad Catharinam namque Patinam, Pridie Iduum Decembr. A. 1692. Tom. II. Epist. Arc. p. 110. ita de Autore ejusque Libro judicat: De Livio, aeterno urbis vestrae Ornamento submoneas, quid Patavinitatis indicio in ejus Oratione desideretur. Morhofius enim mihi nequequam satisfacit, nec Scrupulos eximit, sed injicit, vir caeteroquin haud inscitus. Vocabulum Concitor, oris, Gronovius ei tribuit, quod Liviana haud congruit aetati & Orationi. Qui enim Ciceroni idem Livio est Concitator. Istud enim non Augusti, sed inclinantis aevi Latinitatis est, si recte judicare mihi licet. Meridialis cum Vossio non probem, nec vana mendae Gelliani Suspensione ducar. Conf. Noct. Atticar. V. 4 & SCIOPPIUM, qui emendationem tentat Lipsiumque castigat ad h. l. in Judicio de Stylo Historico p. 117. Vid. etiam CELLARIUM Cur. Post. cap. 7. p. 311. & in Antibarbaro p. 72. Neque est quod uno Saltem Livii loco 38. 20. 4. adjectivi meridianus auctoritatem tueatur Cellarius, cum idem Historicorum Princeps. 40. 47. 5. Meridianum tempus dixerit, & praeterea eodem Gellii sole Meridiano 44. 3819. usus fuerit. Conf. CURT. 7. 3. 7. & 8. 9. 5. Licet quoque hic facile videam, quod nostrum non sit, GRONOVIVM inter SCHURZFLEISCHIVMque, tantos Heroas, tantas componere Lites; pace tamen veniamque alterius submonebo, Concitoris vocem quater ad minimum in Oratione Liviana obviam esse. Bis enim belli habes Concitorem 23. 41. 2. & 37. 45. 17. atque bis belli, vulgique Concitores, 29. 3. 3. & 45. 10. 10. Gronoviumque non temere vocem asseruisse, sed fide. M. S. STORUM suffultum, imprudentium correctorum esse, affirmasse, Concitatorum*

rem substituentium. Cum vero Zomacreon aliorum sciscitetur judicia de Patavinitate, facile apparet, quam vacillaverit & quam subveritus fuerit, suam denudare mentem. Anno enim mox insequenti, nempe A. 1693. Tom. I. Epist. Arcan. 96. p. 141. suam etiamnum texit mentem. Nam ad Nesselium scribens, his utebatur verbis. *De Livio nihil dissimulo, & multa in eo mihi animadversa esse fateor, quae Viri Docti pratermiserunt, de Patavinitate ejus nemo hucusque mihi satisfecit. Purus sane Scriptor est emendatusque, & scribendi ubertate omnes historicos superat, in quo nihil Invidia reperiat, quod arguere possit, si pauciores quasdam voces, dictionesque excipio, quae ab Augusto, quo floruit evo recedere videntur. Morhofius, cujus similem tota Kilonia non habet, novissime de eo argumento commentatus est, sed in eo quoque hesitavit. Forsan Augustissima Bibliotheca aliquid praebeat, quod Scrupulum ex animo evellat. Vide, quam Amicus manibus Morhofianis fuerit factus Sarcasmus, quos olim acriori censura graviter offenderat, licet libere ab iisdem etiamnum dissentiat, id quod nulli ingenuo verti poterit vitio. Ideo de Livio jam loquiter ambigue, sed ita, ut ex collatis Vindobonensibus MSSis medelam suis curis fluctuationibusque allatum iri confidat, purumque interea habeat Livium emendatumque. Nullus etiam dubito quin ex DRACKENBORCHIO-WETTSTENIANA Livii editione nuperrima, aliquam multae & vitiosae, aut saltem suspectae Livii lectiones possint emaculari, suoque nativo restitui nitenti. Utrum vero incomparabilis Schurzfleischi CELLARII autoritate candidoque Calculo, quem circa hos temporum Articulos, Annum nempe 1686. in Curar. Poster. edit. Ilda. prolegom. pag. 8. Morhofio denuo adjecerat, his quidem verbis: *Livii Patavinitatem quidam de idiotis patriam redolentibus explicare solent quibus egregie,*
ut*

ut omnia solet, vir clarissimus respondit, Daniel Georgius Morhofius, commotus fuerit, ne aperte Patavinitatis, etiam qualiscunqve, maculam Livianæ dictioni inureret: An dubitaverit, subpueritqve mutatum animum statim prodere, sententiamqve adversam publicare, ego certe vix definire audeam. Inter ipsos Helvetios autem non quidem Morhofius, sed Ejus tamen Liviiqve causa suos reperiebat defensores, ita, ut cum d. 7. Maj. A. 1697. Basileæ D. BATTIERIUS, Resp. autore, JAC. CHRISTOPH. ISELIO (inlyto nomine) de *Historicis Latinis Melioris Ævi* solemnem disquisit. institueret, is non solum de dubia Livii Patria, Ætate & Fide probabiliora referret, sed Patavinitatis quoque mentionem §. 4. plag. B. fac. b. faceret, ita tamen, ut *ridendum* putet *Asinium*, qui in serpo tam recto nodum, in dictione tam tersa Patavinitatem confingere ausus sit: se quidem prolaturum nonnulla, non quod existimet Patavinitatem Livio merito ipsius exprobratam, sed ut demonstret, quid forte Asinium in eam opinionem induxerit. Notandum igitur, Livium verbis neutris frequenter significationem activam tribuere, ut I. I. I. *Achivos jus belli Ænea Antenoreq, abstinuisse*, cui geminus locus extaret 2. 16. f. & 4. 59. 8. quamvis illud loqvendi genus nec aliis nimium rarum sit; Livium quoque eadem voce crebro in diversa significatione fuisse usum. Ad eundem modum I. 4. f. *subsistere feras*, pro, conficere, adhibuisse. Verbis activis insuper significationem neutram addidisse ut 9. 36. I. phrasibusque quæ minus usitatae Cæteris essent, delectari, ut, *suam vicem functus est officio, Meam vicem sollicitus est, Ne nostrum vicem irascaris, Tuam vicem anxius sum, & alia quædam*, quæ, ut a communi loqvendi usu non nihil recederent, ita ob eandem causam Patavinitatem Livio impingi merito posse, absit, inquit, ut credam. Hoc habes specimen

B

virtu-

virtutis, hocque animi sui adolescentis indicium esse voluit Magni nominis ISELIVS, qui, nisi me omnia fallunt. Pollionem, nodos in scirpo quærentem, ex BÖCLERO didicit, *de Eloquentia Viri Civilis, Dissertatt. Academicar. A. 1701 Argent. editar. in 4. pag. 108.* ita locuto, qui cur a Morhofio advocatus non fuerit, nescio. Schurzfleischius contra A. 1699. cum *Dissertationes suas Academicas varii generis in vulgus ederet, latinissimam, nec lectione, sed repetitis etiam relectionibus dignissimam iisdem præfixit Præfationem ad Lectorem Studio Doctrina ac humanitatis deditum, quæ præparationis instar & introductionis ad eas legendas esse possit.* Ita aperte autem hic Patavinitatem Livio exprobat, ut inversum non modo Schurzfleischium videas, sed aversum etiam a Livii causa habeas, adversumque Livio "animum intelligas. Graviter profecto differit, Profais "cis suos a Poëtis distinctos esse limites & agros, ita ut "nefas sit, illis ex horum fundo finibusque vocabulum aliquod depromere atque arcessere, id quod non solum esset "sermonis æqualitatem perdere, ipsumque dicendi characterem vitare, sed alienas possessiones invadere. Livium proinde granditatem quandam in eo confectatum "esse, quod *mulcendi 25. 37. 10. & 38. 17. 16. & demulcendi 9. 16. 10.* "verbis non abstinuisset cum neutrum profæ dignitatem "sustineat, licet latina sint, id quod in characterem Oratorio reprehensionem effugere non posset. BERNARDINUM "proinde PARTHENIUM recte judicasse *Livium non historica "tantum, verum etiam Poëtica quadam ratione sublimem incedere* extraque fines suos quodammodo egredi. Livium vero vocabulis Poëticis delectatum fuisse, negari profecto nequit, cum nimis longum eorundem contexuerit catalogum, Cel. BERGERUS de Nat. Pulchrit. Orat. p. 448. sq. in quibus tamen multa erunt, quæ locum suum vix tuebuntur.

buntur. Id vero 1) nondum Patavinitatis seu Peregrinitatis vitium Orationi adfricat, sed inæqualitatem saltem aliquam infert, Salva utrobique Latinitatis & Romani Sermonis castitate, quam nondum palam negavit Livio inesse Schurzfleischius. 2) Ipse Zomacreon in hac ipsa præfatione laudi ducit Oratoribus, quos inter Livius nondum ad infima rejectus est Subsellia, si a Poëtis egregia quædam mutuentur. Ne vero fidem fallere videar, En ipsius verba: *Oratores cum in rebus exaggerandis versantur, vel ad movendos animos rationes & argumenta conquirunt salva elocutionis dissimilitudine* NB. multa & egregia a Poëtis mutuari, non tantum, quia variarum rerum scientia pectus complent, sed etiam quia morata orationi copiam præbent & granditati serviunt, ac nihil minus quam aridum dicendi genus relinquunt (plag. D. 2. fac. b.) Moratum vero dicendi genus Livio esse frequentissimum inter omnes constat. Nimis proinde 3) rigidam hanc & prorsus Dictatoriam censuram: *Nefas esse vocabulum aliquod ex Poëtarum fundo depromere &c.* pauciores Latii incolæ agnoverunt, quin potius CELLARII Cur. Post. cap. 9. p. m. 341. mitigatam Sententiam voluerunt esse ratam, ut nempe ea Saltem, *qua ab usu bonorum autorum abhorrent, respuamus, cætera Oratori cum Poëtis communia, minus fugiamus.* conf. HEINECCI Fundam. Styli. P. 1. c. 2. §. 62. p. m. 162. 4) Si quando sine translationibus omnibus prodierint Optimi quicquid Scriptores, tunc quoque Livio, his suis ornamentis destituto, hanc dicam, scribemus, *cujus quippe divinae facundiae nihil addi potest, cujus Orationi si quid demas, ex elegantia detraxeris.* Phil. BEROALDO judice. Vide interim, quam naturali pulchritudine Orationis hæc in Cæsare suo extollat suminus BERGERUS p. 446. quod, quia in Livio extat densius, carpitur. Sciens omittam præsidium a FABIO expectandum, cum

historiam proximam esse poetis judicaverit, & quodammodo carmen solutum, quia scienter admodum illo usus est BERGERUS l. c. p. 329. Sed vero porro audiamus ex laudata præfatione SVADAM SCHURZFLEISCHIANAM, id tamen, inquietem, Livio laudi duci quod prudens temperaverit hoc "genus (sublime) & in illo, nec crebra verborum grandium collocatione modum tenuerit, neq; in reliqua elocutione sibi dissimilis fuerit: licet secundis avibus, primaq; aurora profæ emendationem efflagitent. Poëtica item esse, "sistere, subjugare, allaborare, adurgere, secundare, transfretare, "æquor, assultus, ensis, libamen, annosus, efferus, irruptus, intaminatus, intemeratus, flexanimus, sonorus, unigenus, quorum "aliqua Philosophi in tribum suam recepissent, aliqua Poëtis propiora, quibus parce veteres, & in libris duntaxat "Philosophicis utantur. Livium vero multa liberius in "Profam redegisse, ut hortamen & placamen. Ad vero libramen & libramentum, velamen & velamentum, tegumen & tegumentum, æquo profæ jure usurpari posse, perinde ac Cicero levamen & levamentum dixisset. Sed libramentum "dixisse, non libramen. Placamentum & tentamentum Plinio & Tacito, Poëtarum more quædam innovantibus, "relinquendum esse. GELLII vero legumentum pro legumine sua novitate offendere. Sic latine dici quidem laxamentum, non vero laxamen, contra regimen, non regimentum. Gravamen prorsus barbarum esse. Miramur "vero artificium Polyhistoris, quam dulce fistula canat. Ergone fas erat, duarum vocum gratia, Autorem toties à se laudatum & commendatum, qui nec in reliqua elocutione sibi dissimilis fuit, in Suspicionem elocutionis dissimilis vocare? aut ad minuendam gratiam, augendamq; labem, aliis Poëtis, & qui partibus eorundem sunt proniores, adjungere? Largiamur, secundis avibus Livium, 6.12.9. Sed

Sed in Oratione Dictatoris A. Corn. Cassi in *auguriis* occupati, & *auspicato* prodeuntis; fuisse usum; haud tamen obscurum erit, eundem *secundis Diis* 7. 26. 7. *Secunda auspicia.* 9. 14. 4. adhibuisse. Quia igitur Dictatori cum solis avibus res erat, cum Etruscorum Disciplina loqui debebat, & fugere *alteras aves* quæ Festo docente, voce ALTER, pro *non bonis nec prosperis*, sed *malis & adversis* rebus dicebantur. Eadem ratione *primam auroram* 1. 7. 6. quam sapissime cum *prima luce.* 6. 12. 7. & 31. 17. f. 32. 28. 3. permutat. *Primis* præterea *tenebris* utitur. 26. 17. 7. & 31. 23. 4. Vide quam scite BERGERUS. Cæsaris Civil. 1. 68. 1. *albente celo* perfruatur, quod bis præterea repetitum videbis, de B. Afric. II. 1. & 80. 3. Interim non pigebit, hæc pauciora ex ISIDORI ORIGIN. 1. 31. f. heic transcribere. *Est aurora diei clarescentis exordium*, & primus Splendor aëris, qui *Græce* *ἠὼς* dicitur, quam nos per derivationem auroram vocamus, quasi eo roram. Unde est illud: *latus Eois Burus equis & Eoasq. acies.* Quam præterea multa sint, quæ liberius in profam redegisset Livius, allata probabunt exempla, quorum plura duobus non sunt producta, à Cel. BERGERO autem p. 448. liberaliori industria coacervata. *Hortamen* vero quod Livii. 10. 29. 5. & *placamen* quod Liv. 7. 2. 3. extat, ampliacionem Judicum latinitatis admittunt, quia difficilis certe probatio erit. an Poëtæ Livium ætate Superantes, has voces fecerint suas? Nam quod SILIUS ITALICUS multa Livii in sua transduxerit arva, Livio quo inferior & recentior vixit, fraudi prorsus esse nequit. Cætera quia Livium non urgent. Schurzfleischiumq; habent paratum defensorem, transibimus, quædam tamen illorum lucem accipient, ex BERGER. Nat. Pulchr. Orat. p. m. 484. & præsertim ex GUNTHERI *Lat. Restituta.* Part. 2. p. m. 944 sqq. Porro SCHURZFLEISCHIUS de Poëtarum, Comicorumq; le-

ctione, imprimis Terentianæ dictionis elegantia, agit, cu-
 jus Andr. I. 1. 41. *obsequium* esset, pro quo Cæsari *obsequen-*
tia. Gall. VII. 29. 4. placuisset, ut ab *Audiens, Audientia, Obe-*
diens, Obedientia, Reverens, Reverentia deducitur, qua tamen
 inflexione locum non invenirent: *Influentia, pertinentia* &c.
 Neq̄ Ciceronem, neq̄ Cornelium a lectione & imitatione
 TERENTIANÆ puritatis abhorruisse. Tandem vero vasa
 sua quasi colligens, ad Livium SCHURZFLEISCHUS redit,
 qui sibi quoq̄ haud indecorum putasset, exprimere Te-
 rentianum vocabulum, quod ejusmodi esset, ut vix pro-
 sæ faciem præ se ferat. Quo in numero esse Poetarum
 propriam & obsoletam, *multimodus*, quam significatu no-
 minis apud Patavinum invenimus, *Mutimoda arte*. 21. 8. 4.
 Terentium (imo vero ipsum Ciceronem, vid. FABRI Le-
 xic. edit. 1726.) notione adverbii extulisse, *Multimodis* in
 Andr. V. 4. 36. Heavt. II. 2. (in quibusdam II. 3. 79.) Phorm.
 III. 1. 1. Hec. 3. 7. utroque modo in versus relatum fuisse a
 Lucretio (pluribus in locis) Secus ac Cicero fecisset, qui
 non solum his talibus abstinuisset, sed Poetica adducens,
 ipsorum Poetarum Sententias retulisset, ut vinctæ solutæq̄
 Orationis dissimilitudinem monstraret. Livio cui semel
 aut raro talia excidissent, omnino hæc condonanda esse,
 & observanda potius quam imitanda, quia imitationis
 ratio non nisi in uno quoq̄ genere optima respiceret, at-
 que a Livio plerumq̄ etiam *demulcendi* verbum, a Teren-
 tio fuisse assumptum, a quo vero declinasset, cum iste di-
 xit *in perpetuum*, Livius contra *in æternum* aliquoties, quod
 nemo ante Livium fecisset, *ut forte Patavinitatem quam NB.*
in Singulis verbis, non in compositione quæro, redolere videatur.
 Hæc vero sunt, quæ Lumen nostræ Germaniæ, æternum-
 que Vitembergensis Academiæ ornamentum, in Livio de-
 sideravit, taxavitq̄. Dixit, fateor, Patavinus Lib. 4. 4. 4.
 & 28.

& 28. 28. 11. Urbem *in aeternum* conditam & 6. 21. 2. hostis prope *in aeternum* exercendo Romano militi datus, ast totidem quoq; & crebrius usurpavit. 28. 34. 5. & 34. 6. 17. & aliis in locis *in perpetuum*, quod etiam BERGERUS p. 457. præfert. Conf. etiam VORSTIUS *de Latin. merito susp.* cap. 5. p. 53. sqq. Coeteros loquendi modos Livio Aliisq; familiares. v. 9. *Aeterna* Romanis nox 16. 17. 4. *Aeternus* hostis 7. 30. 17. *in aeterno* Imperio locatus. 7. 18. 7. *In aeterno* Servitio tenere. 4. 35. 5. *Aeternum* Græcis cum barbaris bellum 31. 29. 15. cogitate omitto. Quam quoq; *aeternam* dixerat Romam. 5. 7. 10. mox *perpetuam* esse vult 7. 6. 3. Ut itaq; aliquam in Livio Patavinitatem detexisse videatur, eam in *Singulis* (forsan: *Singularibus* quibusdam) *verbis* sed subdubitanter, forte, venatur, de quibus *Singularibus* & supra jam vidimus & CELLARIUS præterea in *Antibarbaro* passim, etiam in *Cur. Post.* cap. 5. p. 172. consulendus erit. Si liberius loqui licet sine piaculo, Schurzfleischius etiam cum Morhofio in gratiam reduci posse videtur. Cum enim uterq; fatentur sua Livio, ut Optimo cuivis Scriptori, inesse *Singularia*, quorum etiam aliqua ex SCHURZFLEISCHII (tanti enim Viri nomen præfert.) *Introd. in Notitiam Scriptor.* Part. II. p. 75. depromi possent; totius rei cardo saltem in hoc vertetur momento: An Poëtica quædam, casto Sermoni Prosaico, etiam in *dictione morata*, admista, redoleant plebejam vitiosamq; Patrii, non Romani Sermomis, figuram? Hoc qui defenderit, cum Schurzfleischio Livium statim Patavinitatis faciet reum; qui vero negaverit, eundem cum Scriptoribus fere omnibus, quorum paucissimi Romæ nati fuere, ab hac labe immunem pronuntiabunt. Hos inter Livii Morhofiiq; Patronos Princeps iterum prodibat, biennium post publicatas Schurzfl. dissertatt. Acad. CELLARIUS, publice Halæ A. 1701, disputans.

de

de *Fatis Lingua Latina* cujus §. 19. his verbis finiit. *Hæc sufficiant pro vindicando Livio, quem pluribus ab hæc Patavinitatis injuria vir clarissimus Daniel, Georg. Morhofius de Patavinitate Liviana libro adseruit. Inserta est hæc de Fatis L. L. dissertatio Cellarii Dissertatt. Academ. P. II. p. 455 sqq.* Mirabitur interim lector, neutrum horum Duumvirorum, Schurzfl. nempe atq; Cellarium, ab altero unquam fuisse advocatum, aut alterius librorum fecisse mentionem, imo ne nomina quidem eorundem in Alterius paginis occurrere, cum neutri tamen alterius monumenta ingenii longe præstantissima ignota esse potuerint. Sed nemo tamen nescit quam parum liberaliter de Cellarii editione Zofimi senserit Zomacreon in Epist. Arcan. Tandem uterque naturæ debitum reddidit Cellarius quidem A. 1707. Schurzfleischerius vero A. 1708. cujus vestigia presit atqve per omnia secutus & affecutus est BERGERUS, vir in tantum laudandus, in quantum se Priscæ puræque Eloquentiæ gloria diffundit, in libro scitissimo de Nat. Pulchr. Orat. A. 1720. Lips. evulgato. Cellarum eqvidem hic habuit dignum, quem aliquando pro se excitaret, illumque hoc encomio ornavit, quod *haud imperitus vel restituenda latinitatis, vel confirmanda reæ vocis, causam egerit, illiusq; dignitatem asseruerit.* p. 471. Morhofium vero *Liviana Patavinitatis exploratorem* p. 323. & *investigatorem* p. 327. Saltem nominavit, *Cimbricq; nominis clarissimum* appellavit. *Patavinitatis controversiam* autem Salvam esse voluit, ut suam nobis erga Præceptorem suum, quem nunquam nominavit, probaret pietatem. Haud proinde ingratum erit, comparisonem ejusdem, Cæsarem inter Livium, Tacitumque institutam, heic quidem percipere. In. C. Jul. Cæsarem inquit lib. cit. p. 344. *Livio Tacitotq; comparatum, cum intueor, sic eqvidem mihi videor, id quod Sentiam, melius alieno Sensu, quam voce mea*

mea comprobaturus, si velim ex tribus illis, primo Tacitum, deinde Livium, postremo Cæsarem evolvi, auriumq; iudicio perpendi, ut ipsa doceat lectio, numerosiorem esse Tacito Livium, sed ita suaviores Livio Cæsarem, ut ille, quod salva Patavinitatis controversia dixerim, peregrini quid sonare, hic demum vel natus videatur auribus Romanis, vel omni venustate excultus. Cecidit ergo sua causa Livius hoc iudice, quia Cæsar, quantus, quantus est, Svavitas est, Romanusq; cultus & venustas totus: Livius autem, etiam cum Tacito, argenteæ ætatis, conferendus, ita plenus est rimarum peregrinarum, ut hac atq; illac perfluat, ut peregrinorum etiam tanta scateat multitudine, quæ prima quavis lectione, post Tacitum licet instituta, possit deprehendi. Cur vero Cel. & meis encomiis major, Vir immortalis gloriæ, BERGERUS, ASINII POLLIONIS censuram in suum Cæsarem, ita leviter transit? Non enim remissæ solum diligentiae sed suspectæ etiam fidei insimulavit Cæsarem ad excelsam Longini disciplinam exactum. En Eiusdem apud Svetonium in Cæsare cap. 56. reperiunda verba: *Cæsaris Commentarios parum diligenter parumq; integra veritate compositos putat, cum Cæsar pleraq; & quæ per alios erant gesta, temere crediderit, & quæ per se vel consulto, vel memoria etiam lapsus perperam ediderit: existimatq; rescripturum & correcturum fuisse.* Haud equidem me fugit, ipsummet Morhofium in hoc ipso de Patav. Liv. libro cap. 4. p. m. 500. Cæsaris causam ita egisse, ut Eum a maledico, Asinio Pollione defenderit: Scio etiam Magnum Bergerum leviter aliquoties confesum esse, sollicitatam Cæsaris fidem, non minus laborare quam aliorum Historicorum, cit. libro p. 252. 527. & p. 561. Sed quod *parum diligenter* Cæsaris Commentarii fuerint compositi *ibid.* præsertim Sub initium libri p. 50-60. aut subtrahit, aut cogitate omisit. Habebit ergo quod reponat

C

nat

nat BÆLIO, Pollionis causam defendenti in *Diēt. Hist. Critic.* voce *CÆSAR*, nota G. quia non prorsus sunt nulla, quibus Pollionem tutatus fuit, Cæsaremq; laceravit. Neq; omnino sunt rejicienda, quæ in Cæsare cum Livio comparando desideravit *FRANC. FLORIDUS SABINUS Lect. Subseciv. Lect. I. 2. & 3. p. m. 1004.* Tomi I. *Thef. Crit. Gruteriani* præsertim si cum Morhofio cap. ult. p. m. 587. & Bergero p. 348. conferantur. Sed transeant hæc, quia peregrinitatis labe Livio per tantum Virum inusta, ita Summi Viri Cel. HEUMANNI occupavit animum, ut Patavinum cum *Poetis Corduba natis*, pingue quodam atq; peregrinum Sonantibus æquaverit. Quare hæc Ciceronis verba pro Archia cap. 10. circa finem, quæ etiam ex de perfecto Orat. cap. 8. lucem accipiunt, illustraturus, *Ipsi Livio*, inquit, in 8. Orat. Cicer. a se emendatis ac illustratis, Isenaciqve editis 1735. p. 43. *non injuria tribuitur Patavinitas, autore Sturmio. Diversa quidem est Morhofii Sententia in grandi de Patav. Liv. opere. Verum cum docta multa congesserit Vir multa lectionis, pauca tamen profert, ad suam confirmandam Sententiam: imo magis Pollioni quam Sibi met ipsi favet, in postremo capite concedens, esse non nihil peregrini in Livio, sed hodie neminis esse in potestate, illa ipsa verba Phrasesq; in quibus insit Patavinitas, certo demonstrare. Quam autem vereor, ne ingratum prodatur animum, si quando librorum autoribus, cum multa docta congesserunt, granditatem operis 15. plagularum exprobare! Quod pauca protulerit ad suam Sententiam confirmandam, ille aperte negabit, atqve intrepide, cui cognitum est atqve compertum, quanta solertia & doctrina Morhofius virtutes & propagationem L. L. per Singulas fere gentes coloniasqve Rom. quanta Sermonis discrepantia inter Romanos & Oppidanos fuerit, docere debuerit, de Peregrinitate, seu Patavinitate ejusdem linguæ solide judica-*

judicaturus. Neque minus temere frustraue dixit, Morhofium Pollioni favisse: quod non nihil peregrini in Livio extet: quod hodie Patavinitatem certo demonstrare nequeamus. Ea enim quæ sub conditione & per dubitationem efferuntur, in affirmantem & generalem loquendi modum, non nisi perperam & invito Autore, transfunduntur. *Fuerint ne ipsa Morhofii verba exhibeo jam in Livii dictione qua peregrinitate aliqua Patavina Latinum sermonem infuscarint, id ut antiquis ipsis inquisitu difficile, ita nobis longe difficillimum, qui non gentilem & domesticum habemus, sed lectione sola linguam nobis latinam formamus.* Profecto tot abundamus Antibarbaris, quam plurimisque ejusdem argumenti libris, quibus peregrinitatem e foro civitateque Romana eliminare laudabili annisi sunt Studio Optimi quique Latinitatis fugientis statores; Quam fallax autem, difficillimumque sit hoc Opus, plenumque aleæ, non Scioppius, Vorstius, Vossius, ipseque Cel. Heumannus nos doceant, sed ex ipso illo Germaniæ nostræ lumine Cellario, discamus. Aliquoties ille *ANTIBARBARUM & Cur. Post.* recognoverat, *Discussionem* quoque *Appendicis Danicæ* Andr. Borrichii. A. 1695. jam emiserat, neque sic tamen tantus Varro, lectione sola sibi latinam formaverat linguam omnem. Hinc *OLAUS WORMIUS W. F.* cum A. 1703. d. 12. May. publicæ dissertationi Hafniæ suas submitteret *Cogitationes de Lingua Latina* ita de eodem judicabat §. 9. p. 9. *Successit Borrichio CELLARIUS Vir doctissimus, pressitq; vestigia antecedentis Borrichii, sed non adeo accurate, quin liber ejus (Antibarbarus) adhuc sibi oppositos inven- rit, ut NB. judicare possit quilibet, quam difficile circa vocabu- lorum autoritatem in Romana civitate quid certum statuere. Desiderant alii, alii Superflua ingerunt, ut videatur magna molis opus Romanam evertere linguam. Et hac pluribus de-*

"ducenda essent, nisi plagii notam incurrere videremur, praefer-
 "tim cum censura nostra commissum sit Opus prelo maturum,
 "quod brevi laboris ingentis & vastissimae sectionis Autorem
 "(ANDR. BORRICHIIUM) prodat. Habebit tamen B. L. parvu-
 "lura conspectum verborum quorundam, quae iudiciis Criticorum
 "suspecta, qualia Absentare (Petronii) Equipollere Apuleji,
 "Aequor pro mari Varronis, Boatius Apuleji, Communicare
 "Caesaris, Confundi, pro pude fieri Ovidii, Deprecari Tullii
 "& Quintiliani. Est, pro licet, Virgilii, Horat. Aliorum-
 "que. Faciliter Quintiliani, Feriari Varronis, Genuinus Tul-
 "lii, Haecenus Taciti, Statii, Aliorumque Imputare Ovidii.
 "Lingula Pomp. Melæ. Manet ex Maneo, Virgilii, Magnifi-
 "co Terentii, Mastigatum Apuleji Medici, Nutricius, Varro-
 "nis, Ordinarie Frontini, Pestilentia Livii. 10. 47. 6. Quasi
 "pro quasi ita esset Plauti, Reversus Caesaris, Sublimare
 "Vitruvii. Textus Am. Marcellini. Valedico Senecæ. Ver-
 "nalis Manilii. Haud dubie ANDR. BORRICHII Vindicia
 "Latinitatis purioris indigitantur, quæ anno demum 1707.
 "Hafniæ prodierunt, quibus vero statim eopse anno
 "CELLARIUS opposuit *Judicium de Vindiciis Latina Lingua
 "Borrichianis, nuperrime Hafniæ Danorum in lucem editis Jen.
 "1707. id quod didici ex Cel. WALCHII Vita Cellarii præfixa
 "Cellarianis Dissertatt. Academ. plag. 5. * * * 5. fac. a.
 "Quantum interea ipsi etiam Olao Borrichio suspectarum
 "vorum numerum Cellarius aut vindicaverat, aut illustra-
 "verat, ex Illius quidem Indice alphabetico, quem Oratio-
 "ni de Studio Latinitatis Pura. p. 159. & p. 173. inferuit
 "(Tom. II. Dissertatt. Academ.) Hujusque *Antibarbari* &
 "Cur. Post. editionibus posterio ribus abunde omnibus pa-
 "tebit. Ut vero præterea videas quales idiotismos Livi-
 "anos concedat Morhofius, Eum tã idia saltem agnovisse;*

τὰ τῶν ἰδιωτῶν autem strenue negasse deprehendes. Quod si vero gentilem & domesticum haberemus nos hodie latinum Sermonem æque facile nostris suboleret naribus Patavinitas seu Peregrinitas, quam olim illi aniculæ Theophrastus apud QUINTILIANUM Institut. Orat. VIII. I. & MORHOFIUM l. c. cap. 14. p. 576. Licet enim ob facundiæ insigne studium *divinus* haberetur Theophrastus, anus tamen Attica, annotata unius verbi affectatione, illum non Atticum, licet satis diu Athenis moratum, sed hospitem dixit, nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Conf. SANCTIUS in Minerva sua in appendice objectionum p. m. 462 sqq.

Hæc vero omnia ingenii saltem causa tentata credas. Si qua certiora de vertumno Schurzfleischiano judicare poteris, felicius nobis, facies periculum, MALEBRANCHIUM de *Inquir. verit.* lib. II. Part. 2. cap. 6. & 7. p. 128 sqq. & nobis quoque scripsisse, Scientibus, *Homines studio deditos, alicui ut plurimum Auctori se mancipare, adeo ut in id unum colliment, ut nempe quid ille auctor tenuerit, non vero quid tenendum sit, discant,* quod etiam pluribus hic, primum pilum Cartesianos inter ducens, integris persequitur capitibus. Humillimis proinde veneramur precibus divinam clementiam, quod hanc lætam nobis largita fuerit scribendi, occasionem, per redditum nobis secundo auspicio gloriosissimum Natalem *Serenissimi Ducis atq; Principis, Domini CAROLI LEOPOLDI, Ducis regnantis Meclenburgici, Principis Vetustæ Gentis Heneticæ, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarum Rostochii atq; Stargardie Dynastæ, Domini ac Nutritoris nostri clementissimi,*

...issimi, quem ut Seris etiam Nepotibus clementissime referat incolumen florentemque: ut annua identidem nobis redeant vota.

Salve festa dies, meliorque revertere semper!

Horum quidem votorum nos damnabit Deus T. O. M. Hæc igitur Natalia, quia publicam non modo imperant, Impetrantq; lætandi opportunitatem, sed studiosæ etiam juventuti veniam concedunt, ut aliquem ex sua industria, quam in dicendi arte exercuerunt, capiant fructum: hunc salutarem proinde diem ita Cœlo commendabimus, ut nostram pietatem fuisse publicam, omnibus innotuerit. Hoc itaq; suæ nostræque pietatis exemplum extare voluerunt

Juvenes ad Meliora nati,

atque ex literarum cultu Patronorum commendationem sibi conciliaturi, cras V. D. hora audita 4. pomerid. dicere gestiunt,

I. JOHANN HARTWIG TROYE,
Lubitza - Meclenburgic.

De varia fortuna CHRISTOPHORI Ducis Meclenburgic. & Coadjutoris Raceb. Orat. Germ. Soluta.

II. JULIUS JACOB BITTORF,
Gustroviensis, Orat. Lat.

Regias Serenissimorum Fratrum ULRICI atque CHRISTOPHORI Nuptias recenset.

III.

III. DAVID CHRISTIAN RICHTER,

Gustroviensis,


Argumentum suæ Orat. germ. selegit. Das von de-
nen Durchl. Herzogen JOH. ALBERTO I. &
ULRICO zu Rostock A. 1570. angelegte Hoch-
Sürstl. CONSISTORIUM.

IV. PHILIPP CHRISTOPH DAVID
BÖLCKOW, Gustroviensis,

Dicaſterii Aulici a Ser. Fratribus JOH. ALBERTO I.
& ULRICO Institutionem & per ADOLPHUM
FRIDERICUM I. & JOH. ALBERTUM II. repe-
titam A. 1651. d. 10 April reſtaurationem exponet.
Orat. Latina.

His itaq; futuris Oratoribus ut Vos PRÆSIDES &
SACERDOTES utriusqve JUSTITIÆ frequentes bene-
dicendi alacritatem adaugeatis, atq; cum benevolentia fa-
ventes atq; assidui confluatís, omni opera Studioq; oro
atqve obtestor, operam daturus Summam, ut obsequendi,
inserviendiqve promptus ac alacer animus VOBIS semper
integer conservetur, neqve unquam commitemus, ut
tantus Gymnasio nostro præstitus favor, tan-
tumqve precibus meis adjectum pondus,
ingratæ tradatur oblivioni.





De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies
 Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen
 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis stu-
 diis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, institui-
 ret werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande
 schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w
 Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie ent
 der Universitæt nach Helmstädt mit Nuß verschick
 Cum deinde turbulento *Brunsvicum*, mox vero Gv
 tum adiiisset, in secessu vicino *Zessen* ab Avia sua te
 receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates aut
 fementes, dictaque Monasteria latius enarrabant Auto
 Baringium reperiundi.

§. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque
 stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d.
 præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M
 Bericht nach, sollen die Salz-Roten jährlich 2 Tonnen
 tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g
 Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena
 richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet.
 vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar.
 SIGIUS, plenior sine dubio dabunt notitiam in *Bt*
xon. Super. p. 941. In templo Cathedrali Halensi
 runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore
 liberorum Parentis facti, cujus πολυγενίας alia plura
 peditabant exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17
CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II. p. 286 -
Jac. THOMASII, Oratt. p. 121. *LANSII Consult.* p. n
 omittam *STEPNERUM in Inscript. Lipsiensibus:* A

